


burg  
19







1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8





8 I. N. D. N. I. C. S. 5. num. 6.  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De  
**REBUS MO-  
BILIBVS ET IM-  
MOBILIBUS,**

1676, 2.

Vulgò

96  
Von den **Fahrend- und  
Ligenden Güterem.**

Quam,

DIVINO ANNUENTE NUMINE

*Ex Decreto & Autoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI  
JVRISCONSVLTORVM ORDINIS

In Florentissimâ Argentoratensium Universitate

Pro consequendis

Summis in Vtroque Jure Honoribus & Privilegiis

DOCTORALIBVS


Solenni Examini submittit

JOH. THEOBALDVS OBERLIN, Benfeldensis Alsatus.

Ad diem 15 Mensis Novembris

Anno quo

f Vrloso MartIs ferro 'penItVs DeVastata nobILIS LVget aLsatla.



ARGENTORATI,  
TYPIS JOHANNIS WELPERI.

7





FRATRVM GERMANORVM  
PARI  
PIO ET FELICI  
VIRIS

*Generosis, & Maxime Strenuis*  
DN. HERMANNO  
ADOLPHO von  
Scherer /

DN. IOHANNI von  
Scherer / Dn. zu hohem  
Greuzberg / &c.  
HVIC

Sacrae Cæs. Majestati, nec non Serenissimæ Domui  
Archi-Ducali Austriacæ à Consiliis Intimis, & h. t. ad Comitia  
Sac. Rom. Imperii, quæ Ratisbonæ, LEGATO,  
respectivè Collegii Imperii Principum  
Directori &c. &c.

ILLI  
Eminentissimi Trevirensis Archi-Episcopi & Ele-  
ctoris Consiliario Intimo, nec non Cancellariæ Episco-  
pali Spirensis Directori &c. &c.

*Dominis, Patronis, atq; Promotoribus meis  
optimis, maximis.*



**E**T adhuc, VIRI GE-  
 NEROSI, ET MAXIME  
 STRENI, ea mihi mens est,  
 & sententia, de alio Patrocinio  
 Disputationi huic Inaugurali non quæren-  
 do, aut sollicitando, quam vestro: aliter-  
 què si facerem, de fide & benevolentia fa-  
 tis antè mihi probatâ & cognitâ, deque  
 Viribus in Patrocinio ferendo sufficienti-  
 bus dubitare viderer; quod GENEROSI-  
 TATIBVS, ET EXCELLENTIIS VE-  
 STRIS injuriosum, mihi verò flagitiosum  
 esset. Sub VESTRIS siquidem AV-  
 SPICIIS ( motus non tam pietate Avi-  
 tæ Necessitudinis, quam Necessitudine  
 debitæ pietatis ) *Cælum meum sapientia  
 Tergeminum*, è scholâ Philosophorum  
 dimissus, feliciter quondam reseravi, pro-  
 pugnavi. Verùm jam non hoc, sed al-  
 tiori motus argumento, VOBIS VIRIS  
 GENEROSIS, Disputationem hanc  
 meam die Novembris in solenni con-  
 ventu publicè habiturus, cæterisque ex-  
 ):( 2 antla-

M

is

O

on

mui  
 nitia

Ele-  
 o-

is





antlatis speciminibus, eâdem coronidem Nobili Illi Quinquennio impositurus, eâ quâ par est devotione, & reverentiâ dedicare, consecrare, atque ad aras Vestras offerre volui, debui. Ea enim quæ in Austriâ, Bavariâ, Ratisbonæ, in laudatissimo Imperialis Camerae Spirensis Dicasterio, & quæ olim Moguntia, dum jam pridem Eminent.<sup>mo</sup> Electori à Consiliis essetis; (taceo fidem Eminent.<sup>mo</sup> Electori Trevirensi in Pacificatione Monasterii præstitam.) *Vestris Virtutibus, Meritis, Dotibus*, creverat existimatio, fecit, ut Sac. Cæsar. Majestas, Eminent.<sup>mus</sup> Elector Trevirensis, memores illius Justiniani in *Prefat. de Justin. C. confirmando §. 1. Vobis electis Viris Gloriosissimis, tam doctrinâ legum, quam experienciâ rerum, studioq; Reipublicæ indefesso, & laudabili proposito pollentibus*, verè GENEROSOS VOS NATOS esse voluerint, AMPLISSIMOS LEGATOS fecerint, Consiliarios INTIMOS dixerint. Hoc inquam vestrum nunquam demoriturum Honoris, Virtutisque monumentum, hâc occasione posteris venerandum



dum relinquere, contra malevolentium tela submissè implorare, & in perpetuam beneficiorum mihi, meisque, hucusque præstitorum, memoriam, hic apponere volui. Si quis fortè eam notaverit, quasi hostimentum minus **TANTIS VIRIS MERITISQUE** dignum, saltem minus accuratè conscriptam & elaboratam; Vosmet ipsi ut spero excusabitis, qui novistis, nil **VIRTVTE VESTRA MERITISQUE** dignum à me vobis offerri posse, nisi pium & beneficiorum memorem animum. Alterum etiam quisque bonus facilè condonabit, qui recordabitur turbulentissimorum horum, in quæ nos **DEVS** reservavit temporum, dum inter ipsa funesta arma, armorumque fulgura, & tormentorum tonitrua, imò inter ipsa tot conjunctorum, conciviumque funera, exilia, suspiria, & lamenta, hanc ipsam congerere fueram coactus. Qui igitur mirum si inter tot, & tantas calamitates, studia mea interrumpentes & remorantes nec accuratius, quid mihi meditari permittententes, meditamenta hæc mea nonnullis adhuc scateant hiatibus. Hæc tamen **VIRI GENERO-**

7





NEROSI, & EXCELLENTEs serenâ fronte accipite, & GENEROSO Vestro PATROCINIO, meque favore, & gratiâ impofterum quoque dignemini, Pro quo, debita animi obfervantiâ DEVM ardentibus votis invoco, ut VOS PATRONOS MEOS MAGNOS Sac. Cæs. Majeftati, Electoribus Imperii Eminent.<sup>mis</sup>, imò toti Imperio, & in eo pariter bonis omnibus, perpetim *Salvos, Incolumes, & ex omni parte Felices* præftet, ac fervet. Vivite quoque *Vestris Familiis* in Incrementum Illustre. Vivite & mihi in patrocinium perpetuum, meque ex ingeniâ veftre humanitate, devotiffimum *Avita Neceffitudinis noftre* Cultorem admittite, & agnofcite. Qui fum eroque quo ad vixero

*Dabam Argentina è Mufeo  $\frac{22}{11}$ . Novemb.*

*VVestrr. Generofitatum  
& Excellentiarum*

Devotiffimus

Addiffimus

Johan. Theobald, Oberlin.





## PRÆLOQUIUM.

**B**Xantlatis, DEO benignè juvante, superioribus septimanis, secundum leges examinibus Doctoralibus, obtentâque ab Amplissimo Jctorum ordine, pro summis illis in utroq; Jure honoribus Doctoralibus consequendis, conscribendi & solenniter, sine Præside habendi Inauguralem Disputationem licentiâ, mihi diù multumque de materiâ hoc specimine dignâ, simul & humeris meis aptâ, deliberanti, penè contigisset, quod illi, qui de copia conquestus hanc ipsum facere inopem dixit: maximè verò verebar, ne mihi quoque accideret, quod ut plurimum illis, quibus ex magno rerum pretiosarum cumulo quæpiam optandi facultas data, ut, dum vultum circa universas versant, consiliumque quam ex illis præcipuam seligant, diu torquent;

A

quent;

on-  
A-  
m-  
de-  
ous  
ME-  
to-  
pe-  
pe-  
Fe-  
Ve-  
Vi-  
m,  
vo-  
ul-  
im  
  
m  
  
lin.

7





quent; Tandem infeliciter deerrantes atq; dignioribus relictis minus pretiosa fecerunt. Et sanè facile crediderim fore, qui, quod ex innumeris elegantioribus aliis hanc de rerum mobilium & immobilium differentiâ & qualitate, pro disputatione Inaugurali, quam publicè proponerem, elegerim materiam, me deerrasse dixerint. Verùm enim verò per me cuilibet licet, sibi quisq; quæ placet, seligat materiam, in qua sui vires exercent ingenii, mihi sufficit talem elegisse, quæ quotidiano judiciorum maximè usu in ipsis rerum argumentis obtinet. Quæ enim hodiè heredum successio, hereditatum divisio, quæ rerum alienatio imprimis pupillarium, in qua non circa discrimen rerum mobilium & immobilium controversiæ suboriuntur. Ne de statutis particularibus circa talia disponentibus quidquam dicam. Duxi itaque & meritò hanc materiam dignam, quam non nihil declaratam hac occasione studiosis juris ulterius discutiendam exhiberem. Quod ut feliciter succedat DEVM T. O. M. devotè adoro.

THESIS





THESIS PRIMA.

**I**uri operam daturum prius  
 nosse oportere unde nomen juris de-  
 scendat, Ulpianus *l. 1. ff. de just. & jure* monet; qua-  
 re, antequam operam nostram ad altiore[m] inda-  
 ginem presentis disputationis convertamus, prius  
 dispiciamus, quæ res mobiles, & his oppositæ, quæ  
 res immobiles propriè sint ac dicantur. Res igitur  
 mobiles præcipuè dici arbitramur, quæ suâ naturâ  
 de loco ad locum ut moveri & transferri possint, ap-  
 tæ & habiles existunt; qualia sunt vasa, vestes, men-  
 sæ, lapides, naves, & id genus alia innumera. *l. 1. ff.  
 de edilit. edict. l. à divo Pio. 15. §. in venditione. 2. ff. de  
 re judic. l. in rebus. 30. Cod. de jur. dot. l. si filius. 4. Cod. fa-  
 mil. ercisc. l. moventium. 93. ff. de V. S. Connan, lib. 3.  
 c. 2. in fine. lit. I.* Vel si cui Speideli descriptionis magis  
 arrideat, mobilium appellatione continentur, res  
 quæcunque naturâ suâ aptæ ad movendum, sive se  
 ipsas moveant, vel ab alio moveantur. *d. l. moventi-  
 um. 93. ff. de V. S. Cardin. Tusch. tom. 1. præct. concl. lit.  
 B. concl. 103. num. 1. & seqq. Menoch. de recuper. pos-  
 sess. remed. 1. n. 4. ver. inter mobilia, & num. seq.* Un-  
 de & in mobiles in specie, & semoventes subdivi-  
 duntur; quamvis, uti parva in usu juris inter has vi-  
 detur differentia, *l. generali. 32. §. ult. ff. de usufruct.*



*leg. d. l. 15, §. 2. ff. de re judic.* Ita distinctio hæc, non semper in legibus observatur, uti videre est in *l. 1. l. 2. l. 3. §. 1. ff. de supell. leg.* Dn. Dr. Hahn. *in observat. ad Wesenbec. π. ff. de R. D. n. 4. ad verb. aut mobiles*, ubi addit linguâ vernaculâ germanicâ res mobiles dici: *Alle bewegliche Güter / Fahrnuß / fahrende Haab / alles das getrieben oder getragen werden mag / oder alle leibliche Haab und Stuck / die sich entweder selbst bewegen / als das Viehe / oder von andern pflegen bewegt zu werden / als Goldt / Silber / Baar / Geld.* hæc Dn. Dr. Hahn, d. loco. Hoc evidens est, quod omne se movens, sit mobile, sed non vicissim mobile sit res se movens, facit *l. idest. 2. de supell. leg. d. l. 93. ff. de V. S.* Describo itaq; hoc modo. Res mobilis est, quæ de loco in locū moveri potest, sive activè moveatur à se ipsa ut res quæcunq; animales e. gr. homo *l. 1. ff. utrobi*, sive passivè ab aliis, ut lapis, quarum illæ moventes, hæc mobiles in specie dicuntur. Immobiles verò rectè dici arbitror, quæ naturâ suâ sine fractione moveri, & transferri non possunt, ut sunt fundus prædium, quæ idè res soli in *l. 1. §. 1. ff. de R. V. nominantur. Coll. Jur. Arg. 1. ff. s. th. 49.* Quibus adnumerantur etiam eæ, quæ quasi pars fundi sunt, *l. fructus. 44. ff. de R. V.* uti & eæ, quæ licet per se mobiles sint, tamen quo ad juris effectum pro immobilibus habentur. Differentiam membrorum horum divisorum passim in jure observare licet, ut in *princip. & §. 3. Instit. de usucap. §. penult. Instit. de vi bonor. rapt.* ubi res immobiles invadi, mobiles verò contrectari, rapi, dicuntur. *addition. ad Coll. Jur. Argent. d. l. thes. 50.* & quæ aliæ sunt earum affectiones & qualitates, quas ad longum refert *dict. Card. Tusch, concl. 105. per totum sub lit.*



*lit. B. Tom. 1.* Vocantur etiam ruta cæsa in *l. fundi. 17. §. si ruta cæsa. 6. l. granaria 18. ff. de act. empt. vend.* Sanè vocabulum mobilis, & immobilis, metaphoricè prædicatur etiam de rebus aliis minus adæquatis, ut de animo, quando quis dicitur homo mobilis animi, seu in constantis, sed non est ut talia hic moremur.

II.

Dixi res mobiles & moventes in hoc quoque discrepare, quod illæ passivam, hæ verò activam significationem respiciant; hanc tamen differentiam in jure nostro tam accuratè non observari, supra, thesi antecedenti, monui. Quare animalia, servi, pecudes, etiam mobilium appellatione passim venire ex *d. l. 1. §. 1. ff. de R. V. l. possideri. 3. §. nerva. 13. l. qui universas. 30. §. item quod. 4. ff. de acquirend. vel amitt. poss.* docemur. Moventium quoque vicissim easdem, quæ mobilium appellatione significari ex *d. l. 1. §. 2. ff. de supell. leg. d. l. 93. ff. de V. S. d. l. 15. §. 2. ff. de re judic. l. ult. §. 1. ff. de requirend. absent. l. vulgaris. 21. §. certè. 6. ff. de furt. apparet.* Coniunguntur etiam nonnunquam ut in *l. cum multa. 7. C. de bonis quæ liberis. d. l. 15. §. 2. ff. de re judic.* separantur itidem in *d. l. 1. ff. de edil. edict. l. penult. C. de jure dot. l. sicut. 13. C. de servit. l. si filius. 4. C. famil. eriscund.* Proinde communis Dd. est opinio synonymos accipi, nisi aliter de mente pronuntiantis constet. *d. l. 93. ff. de V. S. ubi* Gædd. Alberic. Gentil. Rebuff. Celsus in *l. si chorus. 79. §. 1. ff. de leg. 3.* appareatq; testatorem animalia duntaxat, quæ per se ipsa moventur, moventia, die schwebende Haab vocitasse. *Gædd. d. l. Dec. consil. 653. num. 6.* Aut nisi vel





consuetudine, vel jure statutorio (quale in incluta Sac. Rom. Imperii civitate Selestadiensi viget,) aliud sit constitutum, & obtineat. Vulgari itidem usurpatione res mobiles strictius accipi, & auro argentoque facto item Bibliothecis &c. opponi, inventaria rerum patrimonialium à Notariis confecta, nos edocent; & facit *d. l. 1. ff. de supell. leg.* ubi domesticum instrumentum, quod neque argento aurove facto, vel vestimentis adnumeratur comprehendit: Hæc de Homonymiâ.

IV.

Quæ ut evidentius in rebus singulis demonstrantur, præcipuas hîc nunc subjiciam, & considerabo. Et omnium primum, ad quam speciem rerum corporalium referenda sit *pecunia numerata relicta*, *Saabr Geldt*. Et sanè Dd. communiter tradunt, quod pecunia inter res mobiles sit referenda per textum in *N. 22. cap. & quia. 45. §. 2.* Curt. Junior, *Consil. 183. n. 1.* Card. Mant. *de conject. ult. volunt. lib. 9. t. 3. n. 2.* Rosenth. *de feud. cap. 4. conclus. 7. num. 1. & seq.* Card. Tusch. *tom. 6. præct. conclus. lit. P. conclus. 200. num. 6. & post hos Berlich. tom. 3. conclus. 30. num. 2.* Coll. Jur. Arg. *d. 1. ff. 8. thes. 53. ibi pecunia mobilis.* Idque ideo, quia pecunia dicitur de his, quæ servando servari non possunt. Bartol. & Dd. communiter in *l. trajectitia. 23. ff. de O. & A.* Card. Tusch. *d. l. concl. 199. num. 4. quem vide.* Licet enim reposita sit in arca, imò vel muro inclusa custodiatur, illa tamen res propriè servari posse dicitur, ex qua fructus aliquis percipitur, quod non evenit in pecunia, quia si eâ utaris ad enumerationem, ad quem usum etiam est destinata, non conservatur, sed



sed consumitur, ut latè *Simoncell. in tract. de decret. lib. 3. t. 8. inspect. 16. num. 116.* Neque distinguimus an pro conservatione familiæ, sivè præsidii causa reposita sit, *Noth. Pfenning* / per text: expressum in *d.l. 79. §. 1. de leg. 3.* *Jacob. Menoch. lib. 4. præsumpt. 138. num. 2.* dissentit *Gail. lib. 2. observ. 11. num. 8.* Nec minus inter eam, quæ ad emptionem prædiorum sivè bonorum immobilium est destinata, ut eleganter tradit *Gail. dict. loco Ant. Tessaur.) ubi Senatui Piedemontano, sic placuisse dicit decis. 160. num. 4. in fin. num. 6. & seq. Menoch. d. lib. 4. præsumpt. 138. num. 3. Cardin. Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 9. t. 3. num. 2. Jason. in l. cetera. 41. §. sed si paravit 14. de leg. 1. Nicolaus Boërius (ubi rationes adfert. & ita in suprema curia Parisiensi judicatum, itemque in Curia Burgalensi per viam appellationis 22. Martii Anno 1536. decisum fuisse) refert, decis. 209. num. 1. & seqq. usque ad finem.*

III.

Licet enim multi sint, qui contrariam sententiam amplectuntur, pecuniamque ad emptionem prædiorum destinatam indifferenter immobilibus bonis adnumerant, ut videre est in *Colleg. Jur. Arg. d. 1. ff. 8. thes. 53.* & *Jacobi Speidelii Speculo sub verb. Fabruis* / ubi multis argumentis eam tueri desudat: eorum tamen sententiam, cum prædicta ita concordandam putamus, quando expressè, & certò de defuncti voluntate constat, quod in specie ad hoc, vel illud prædium comparandum pecuniam congegesserit, ac morte præventus, eam ad hoc erogare, prædiumq; emere non potuerit: Eo sanè casu, destinationem, ac voluntatem ejus aliquid operari, nec



nec vanam esse debere, non absone concluditur. Maximè si adhuc venale prædium existat, ex contrahentibus verò (quia naturaliter emptor vi-  
liori pretio comparandi, venditor verò cariori di-  
strahendi voto adducuntur, *l. si voluntate. §. C. de re-  
scind. vendit.*) contractu nondum perfecto alteruter  
decesserit. Hanc limitationem tradit Socin. Senior  
*Consil. 249. num. 27. vol. 2.* quæ meo iudicio, (*inquit  
Gail. dict. observ. 11. n. 6. singularis est.*)

## V.

Nec tamen convertibile est, ut quemadmo-  
dum pecunia ad emptionem prædiorum expressè  
destinata immobilium naturam induit, sic pariter  
redacta pecunia ex venditione rei immobilis cen-  
senda sit immobilis. Quod imprimis tradit Franc.  
Aretin. *in l. dotis. §. C. de collat. Mansuer. tit. de societ.  
§. item nomina seu debita,* ubi dicit pecuniam hanc  
ejusdem naturæ esse, cujus res erat, ex cujus ven-  
ditione confecta est, ut quæ sit subrogata in locum  
illius. Verum hæc præsumpta testatoris, vel de-  
functi voluntas, quod rursus ad immobilia elocaf-  
set operari non poterit, ut propterea immobilibus  
adnumeranda sit. Argum. eorum, quæ tradit Car-  
din. Mantic. *de conject. ult. volunt. lib. 9. tit. 3. num. 4.  
Ver. illud verò applicandum, ad l. 79. §. 1. l. 92. de leg. 3.*  
Neque contrariatur, quod pretium redactum ex  
venditione rei dotalis succedat loco rei dotalis il-  
latæ, cum dos sit quoddam universale, prout he-  
reditas. *l. si & rem. 22. ff. de heredit. petit. l. si cum do-  
tem. 22. §. ult. ff. soluto matrim.* Modo tamen me-  
moratorum Authorum traditionem præsertim lo-  
cum obtinere arbitror, quando nullâ necessitate sua-  
dente,



dente, bona quædam immobilia (v. gr. Domus eâ intentione, ut alia in locum surrogaretur) distracta sunt, ac massa integra redactæ pecuniæ adhuc extat. Aliud verò dicendum videtur eo in casu, quando pecunia illa ex re tali immobili redacta, non integrè servata, ac major ejus pars ad quotidianos usus conversa, Verisimileque sit reliquam partem pari modo expensum iri; tunc enim nihil obstare apparet, (idque propter verisimilitudinem, præsumptamque defuncti mentem,) quò minùs istiusmodi exstantem pecuniam mobilibus bonis adnumerem. Ita *Raphael. Fulgos. Alex. Francis. Aretin. Masver. dict. loc. explicat Spedelius in suo Speculo Jurid. Polit. sub vocab. fahrende Haab.*

VI.

Ex his apparet, & hanc quoque, quæ negotiationi destinata pecuniam, inter mobilia referendam esse; Si enim pecunia ad comparisonem prædiorum destinata suam propriam naturam retineat, nec inter immobilia referatur, quantumvis ad prædia emenda, quæ verè sui existentiâ immobilia sunt destinata fuerit, quantò justius suam naturam retinebit, & inter mobilia referenda erit, si ad negotiationem tantum, quâ ut plurimum merces continentur, & alia mobilia designantur, destinata fuerit. Ita *Berlich. d. conclus. 30. num. 5.* dissentit *Cardin. Mantic. de conject. ult. volunt. d. lib. 9. t. 3. num. 3.* Ea quoque, quæ fœnori seu cambio destinata est, rectè inter mobilia refertur à *Jacob. Menoch. lib. 4. præsumpt. 138. num. 4. & 7.* *Cardin. Mantic. d. l. num. 2.* *Ario Pinell. in l. 1. Cod. de bonis mater. (ubi rationes affert, & contraria solvit) part. 2. num. 45. & seqq.* Cujus rei exem-

B

plum





plum adfert. Cardin. Mantica. *d. l. num. 19.* inquit. Si testator legaverit uxori omnia bona mobilia existentia in domo, & potissimum denarios, quos testator reperitur habere, intelligitur etiam legasse eam pecuniam, quam habebat tempore conditi testamenti, & postea apud argentariam officinam Venetiarum collocavit, *argum. l. scribit. 34. ff. de auro mardo. arg. leg. vide Rosenth. in Synop. feud. cap. 4. concl. 5. n. 2. & n. 5. sub fine & in alleg. lit. E.*

VII.

De pecuniâ hereditariâ, Erb. Geldteren / quæritur, *utrum ad mobilia referenda?* Quippè non raro evenire videmus, si quis moriatur pluribus liberis relictis, cujus bona hereditaria non recipiunt commodam divisionem, ut uni ex liberis addicatur totus fundus, ita reliquis singulis suæ portionis æstimationem in pecuniâ præstet, juxta textum *in §. si familia. 4. Instit. de offic. judic. & in l. ad officium. 3. Cod. comm. divid.* quæ pecunia vulgò dicitur hereditaria, Erb. Geldt. Dubitatur igitur, utrum pecunia talis coheredi præstanda etiam sub nomine mobilium contineatur, & ubi tale statutum obtinet, lucro superstitis cedat; an verò inter immobilia referenda sit, & ad heredes defuncti pertineat? Distinctione arbitror rem componi posse, nempe ut spectetur, utrum dies solutionis pecuniæ hereditariæ, vivente testatore, vel uxore, venerit, an non; & quod priori casu, pecunia hereditaria naturam mobilium sequatur, posteriori verò, rebus immobilibus accensenda sit. In confesso etenim est, quod hæc pecunia ex bonis immobilibus debeatur, quoties autem pecunia ex bonis immobilibus debetur, vel actio com-

mulq

com-



competit ad rem immobilem, tunc pecunia illa sive actio, res immobilis censetur. *Gloss in N. 7. in princ. verb. numeranda. Gail. 2. observat. II. num. 10. Bart. in l. potest. 18. ff. de auctorit. tutor. 1. ver. aut. in actione veniunt.*

VIII.

Quâ occasione etiam in dubium vocari solet, quod cum non rarò contingat, ut coheres, cui paterna bona, quæ commodè dividi non possunt, adjudicantur, promittat reliquis coheredibus non solum æstimationem suæ cujusque portionis, statis temporibus, sed insuper etiam usuras usitatas solvere, *verheißt den anderen Mitt. Erben ihren Antheil auff gewisse Termin / neben den Landtüblichen Zinsen / zuentrichten.* Utrum pecunia hæc, quæ quotannis cum legitimis usuris cæteris coheredibus pro cujusque portione ex bonis paternis solvi debet, pro hereditaria habenda sit? Et quanquam hoc in casu, is, qui usuras accipit, non jus in re retinuisse, sed potius personam, & fidem debitoris secutum esse, atque sic, propter interpositam stipulationem usurarum, præter divisionem & judicium familiæ eriscundæ, quod de plano & simplici, & sine ullâ solennitate fieri potest. *l. 1. l. si divisionem. 12. l. non ideò. 15. Cod. famil. erisc. l. ult. ff. eodem.* alium insuper contractum celebrasse censetur, ideoque talis pecunia mobilibus à Berlichio adnumeratur. *dict. loc.* Contrarium tamen magis arridet, *argum. l. nulla juris. 25. ff. de leg. l. Gracchus. 4. Cod. ad l. Jul. de adult.* tum præcipuè, quod potius contractus initium respiciendum sit. *Modest. Pist. consil. 35. quest. 5. n. 28. vol. 2. Gail. 2. observat. 5. num. 7.* Nec enim adjecta stipula-



tione usurarum mutuum naturam civilis contractus induit; sed suæ naturæ relinquitur. *Vide l. receptitia. 2. C. de const. pecun.*

IX.

Pariter, cum aurum, argentum, Goldt / Silber / Edelgestein / und Kleinodien / collanæ aureæ, massa aurea, sive argentea, item, credentia, quæ vocant, aurea, sive argentea, inter mobilia referantur. Joseph, Ludovic. *conclus. 48. num. 26. Natta consil. 117. in fin. Specul. in tit. de fruct. & interesse. ver. quid de libris auri, argenti.* Quæritur cum Tutori sinè decreto alienare liceat mobilia, quæ servando servari non possunt, an prædicta sinè decreto ei alienare liceat? Et quidem cogebatur olim pecuniam pupillarem fœnori dare, aut prædia inde comparare, alioquin in usuras pecuniæ tenebatur, si modo per duos menses neglexisset hanc collocare. *l. Tutor. 7. §. usura. II. & l. si tutor. 15. ff. & l. tutores. 24. Cod. de administr. tut.* At hodiè novo jure neutrum cogitur tutor facere, sed officio suo satisfacit, si pecuniam diligenter custodiat, vel deponat *N. 72. cap. 6. auth. novissimè Cod. d. t.* fœnerandi enim usus vix diuturnus, vix continuus, vix stabilis est. *l. 22. in fin. d. t.* Quod si tamen universa pupilli substantia sit mobilis, & in pecuniâ numeratâ consistat, ingensque sit ejus summa, quam otiosam habere non convenit, nec habeat undè aliàs sustentetur pupillus, eo casu Tutor pecuniam vel fœnori dare, vel in prædiorum emptionem collocare tenetur, ut ex lucro incrementoque fortis pupillus sustentari possit. *d. N. 72. cap. 7.* Cætera autem pretiosa cum servando conservari possint, decreto opus esse reor, per textum in

*d. l.*



*d. l. 22. in fin. observato tamen, quod minima non curret Prætor. Vide Perez. in prælect. ad C. d. tit. num. 11. & 13.*

X.

Transeamus porrò, & quidem ad nomina debitorum, & actiones. Has neque mobiles, neque immobiles propriè esse, sed separatam speciem constituere dicit, Bart. *add. l. 18. ff. de auctorit. tutor. Gloss. ad l. 93. ff. de V. S. Speculator lib. 2. part. 3. tit. de fruct. & interesse. §. 1. num. 6. & 7. Panor. in cap. nulli. §. num. 9. extr. de Reb. Eccles. non alien. facit §. 1. Instit. de adquisit. per adrogat. Ex quo inferunt, in obligatione omnium bonorum mobilium, & immobilium, non comprehendi nomina & actiones. Hinc est, quod quidam statuunt, valere donationem omnium bonorum, præsentium & futurorum, eò quod in tali universali donatione non comprehendantur nomina debitorum, sive jura & actiones, consequenter super sit aliquid de quo donans talis testari possit. Bald. *consil. 232. super infra scriptis, num. 2. ver. nunc venio ad 2. lib. 2.* Bart. *in l. stipulatio hoc modo concepta. 61. num. 5. cum seq. ff. de V. O. Jason. ibidem n. 20. cum seq.* Idem videre est latissimè per Tiraquel. *in tract. lignag. §. 1. Gloss. 7. in princip. & Cardin. Tusch. tom. 2. concl. 650. lit. D.* At licet actio absolutè & per se considerata, nec res mobilis sit, nec immobilis, sed habeatur hætenus, tanquam tertia quædam ac separata species, puta, ubi non necesse est, ut de eâ judicetur, tanquam de re mobili, vel immobili, si tamen necesse sit, ut uni eorum accedat, nempe ubi constat de omnibus bonis actum fuisse, tunc de eâ judicamus, ut de re tali ad quam refertur. Ita decla-*

7





rat & distinguit Alciat. *in l. 93. ff. de V. S. Consil. Argent. tom. 3. consil. 11. num. 51.* Gail. (*Ubi hanc sententiam in Camerâ Imperiali observatam in aliquo casu fuisse, testatur*) *dict. observat. 11. num. 10. in fin.* Unde apparet, quod si statutum quoddam conjugii omnia mobilia deferat, tunc nomina, jura, & actiones, quas vulgò *Klitter-Schulden* vocamus, tum demum mobilibus annumerari, si ad pecuniam vel res tantum mobiles competant: secus, si simul ad res immobiles. *d. N. 22. cap. 45. §. 2.* Gail. *dict. loc. num. 11.* Connan. *d. lib. 3. cap. 2. incipit res divina lit. K. in fine* Berlich. *part. 3. conclus. 33. per totum.* Cujus distinctionis ratio hæc esse poterit, quod qui actionem ad rem habet, ipsam rem videatur habere. *l. is quis. 15. ff. de Reg. Jur.* latè Cardin. Tusch. *pract. conclus. lit. A. conclus. 108. num. 6.* Quoties enim duo sic se habent, ut de uno perveniatur ad aliud, tunc dispositum in uno, censetur etiam dispositum in alio. Roland. à Valle. *consil. 28. num. 11. vol. 2.* Unde etiam actiones & jura dicuntur de loco, de quo est persona creditoris, cujus ossibus sunt affixæ, propter effectum executionis. Coler. *de process. execut. part. 2. cap. 3. num. 32.* Scheffer. *part. 2. pract. quest. q. 4. num. 11. & seqq.*

## XI.

Sed quid dicendum de annuis redivibus? *Jährlichen Gefällen / Zins / und Renten.* Illos ex propria suâque ipsorum naturâ nec mobiles, nec immobiles res esse, sed tertiam quandam constituere speciem confirmare vult Panor. *in d. c. nulli. 5. num. 10. ver. sed tu distingue. de Reb. Eccles. non alien.* Alexander *in addit. ad Bartol. in l. 93. ff. de V. S.* Cardin. Tusch.



Tusch. tom. 1. pract. conclus. lit. A. conclus. 342. num. 4. & num. seqq. Ne autem hic crambem in priori thesi decoctam reapponere velle videar, sine ulteriori ambage, cum communi Doctorum opinione, annuos redditus, sive in prædiis constitutos, sive ex obligatione personali debitos, immobilibus potiùs, quàm mobilibus bonis adnumerandos arbitror; per textum expressum in clementina. *Ex vi. 1. ver. cumque annui redditus. tit. de V. S. Bart. Bl. & alii in l. fin. Cod. de sacro-sanct. Eccles. & ibi Glossa. Cynus & Bald. in l. hac edictali. 6. §. his illud. 1. Cod. de secund. nupt. Berlich. part. 3. concl. 34. num. 7. & 14. Rosenth. in synop. feud. cap. 4. conclus. 5. num. 2. & seq. Rationem adfert Bl. in l. etiam nomen. 5. num. 8. in fin. Cod. de execut. rei judic. dum inquit, præstationes, quæ renascuntur & repullulant, sunt in fructu, & omne, quod in fructu est, possidetur, vel quasi. Curt. de feud. part. 1. quest. 6. num. 10. Non minus per l. sciendum. 15. ff. qui satisfacere cog. Ubi is, qui possidet redditus ab onere satisfaciendi relevatur, & ibi Ayer. in process. Belial contra Christum cap. 10. observ. 3. num. 12. & seq. Pariter in cap. querelam. 24. de Elect. Ubi spoliatus quasi possessione talis juris, restituitur per interdictum unde vi, quod solum pro possessione rei immobilis competit. l. 1. §. illud 6. ff. de vi & vi armata. Gloss. in l. rem quæ nobis. 15. in verbo erepta. ff. de acquirenda possessione. Socin. Sen. consil. 187. num. 15. Gail. 2. observat. 10. per totum. Unde sequitur, quod in ejusmodi redditibus tanquam naturam immobilium habentibus feudum consistere possit, per tradita Rosenth. in synop. feud. cap. 4. conclus. 5. per totum.*

7





Ad hoc tamen ut annui reditus inter immobilia sint computandi, requirunt Dd. quod reditus isti sint perpetui, aut certè ad logum tempus constituti. *Myns. cent. 1. observ. 69. num. 12.* *Gail. 2. observ. 10.* *Tiraquel. de ret. lignag. §. 1. gloss. 6. num. 4.* *Molin. de usur. quest. 37. num. 273.* Ubi post multos alios hanc sententiam communem dicit. Ego verò salvâ laudatorum Jctorum autoritate, arbitror, reditus annuos indistinctè omnes, & citra discrimen utrum in perpetuum, an ad modicum tempus constituti sint, rebus immobilibus adnumerandos esse, cum *Andr. Alciat. in sepeditâ. l. moventium. 93. ff. de r. s.* Ubi dicit, quod annui reditus ad modicum tempus constituti, non aliter inter mobilia referantur, quam si cessi fuerint; & eorum dies venerit. *Petrus Wesenb. consil. 61. num. 6.* *Coll. Jur. Argent. d. 1. ff. 8. thes. 52.* *Besold. in thesaur. pract. V. Zins.* cum dicta ratio, *Bald. in l. etiam. 8. in fin. Cod. de execut. rei judicat.* promiscuè utrisque competat. Insuper accedit, quod secundum tradita logicorum, magis & minus non differant specie. *Vid. Gail. de arrest. Imperii cap. 4. n. 3. sub fin. & seq. & ibi ex l. fin. ff. de fund. instruct. leg. & in l. humilem. 7. C. de incest. nupt.*

XIII.

Quamvis quod innui, non negem, quod quantum ad illos spectat, quorum jam cessit dies, & pro quibus exigendis jam competit actio, rectiùs illi inter res mobiles referantur. *Alciat. d. l.* quoniam reditus, vel pensiones cessæ, fructibus à solo separatis, æquiparantur. *Gail. d. obs. n. 3.* *Myns. cent. 1. obs. 69. n. 13.* *Joh. Köpp. decis. 24. n. 20.* *Connan. d. c. 2. in fin.* Adeò ut si pensiones, & annui reditus, partim cessi sint, partim



partim non, de iis pro rata temporis judicandum sit; ita ut illi in quibus dies solutionis cessit, pro mobilibus, in quibus verò nondum cessit, pro immobilibus habeantur. *Gail. d. observat. 10. num. 3.* Nil quoque refert, an annuorum illorum reddituum præstatio sit circa eandem rem, an verò circa diversas res; puta, an quotannis pecunia, vel frumentum solvendum, an verò uno anno pecunia altero verò anno frumentum debeatur. *Köpp. d. decis. 24. num. 8. in med. ver. & hoc semper sive in eadem re.* *Bald. in proæm. feud. num. 22. ver. nec curo utrum annua præstatio.* Nec minus observatur, an præstatio reddituum, sit difformis, an verò uniformis, puta, an in uno anno plus in alio anno minus solvatur; plus enim & minus, non differunt specie, sed tantum quantitate, & diversam juris dispositionem non inducunt. *Gail. d. l. de arrest. cap. 4. num. 3.* De redditibus autem ex lupanari, vel alio turpi & illicito lucro quæstivè percipiendis, ad officium judicis spectat, dijudicare, secundum *l. cetera. 4. §. mala. 1. & 2. ff. famil. ercisc.*

XIV.

Quid autem dicendum de illis annuis redditibus, qui sub pacto de retrovendendo debentur, auff den Widerkauff? Quod pro immobilibus habeantur, facit, quod licet redimi possint, non minus tamen perpetui sint, ac dicantur, tum quia incertum est, an, & quando debitor hos redempturus sit: ea autem, quæ dubia & incerta sunt, utrum sint perpetua, an temporaria, intelliguntur perpetua. *Text. in l. sufficit. 56. ff. de condict. indeb. ubi Jason. num. 2. ibi nota secundo.* *Tiraquell. de retract. lignag. §. 1. gloss. 14. num. 120.* *Jacob.*

C

Köpp.



Köpp. *decis. 24. num. 11.* Est enim in libero arbitrio & beneplacito venditoris, an & quando illos redditus annuos redimere velit; paria autem sunt, aliquid esse ad beneplacitum, & aliquid esse in perpetuum. Alexand. 7. *consil. 216.* incipit Magister Albertus, *n. 6. vers. quia paria.* Felin. *in cap. ex literis. 11. de const. col. 7. num. 9.* Ac in specie, quod omnes contractus redemptionum dicantur perpetui, eo, quod possibile sit, ipsos permanere perpetuò, absque redemptione (perpetuum enim dicitur etiam illud, quod perpetuum esse potest, quælibet enim dispositio æstimatur ex statu præsentis, non obstante variatione) Decisum est in *Consil. Argent. tom. 2. consil. 11. num. 36.* ubi ita legitur, **Das den geschriebenen Rechten nach/ ein Rent / oder Gültt für ewig gehalten werde/ unangesehen das sie ablößig ist.** *Myns. cent. 1. observ. 69. n. 2. & 15.* Quid si autem statutum superstiti conjugii bona mobilia deferat, & mox post mortem alterutrius redimantur redditus; Dubium hoc fusius examinat *Berlich. part. 3. concl. 30. num. 29. & tandem num. 31. concludit;* quod ad hoc, ut aliquid inter mobilia, vel immobilia referatur, regulariter respectus habeatur ad tempus mortis; sed extra dubium est, hoc pretium retrovenditionis mortis tempore non adfuisse, ergò, non tam quod est, quam quod fuit respicitur.

XV.

Licet quoque *Panormit. in d. c. nullis. 5. num. 10. ext. de rebus Eccles. non alien.* Servitutes, quæ jura incorporalia, tertiam quandam speciem constituere dicat, tamen quia illæ rebus immobilibus adhærent, rectè inter immobilia computantur à *Gail. 2. observ.*

*obse*  
*etia*  
*in al*  
*real*  
*seu f*  
*pac*  
*stici*  
*pon*  
*Tira*  
*fil. A*  
*adsc*  
*vit,*  
*quar*  
*est, e*  
*petit*  
*fit,*  
*gant*  
*uti p*  
*nis. 3*  
*ff de*  
*temo*  
*struc*  
*tur;*  
*30. n*  
*pus c*  
*men*  
*fino*  
*les c*  
*de se*

*utrum*





*observ. 11. num. ult.* Berlich. *d. conclus. 30. n. 25.* quod etiam procedit in jure, seu servitute pascendi pecoris in alieno; quia id jus cohæret ipsi fundo, proinde reale est. *l. pecoris. 4. §. 1. ff. de servit. R. P.* Servitutes, seu servitia, sive ratione rei immobilis, sive vigore pacti conventi quotannis, aut certis temporibus à rusticis dominis suis præstentur, inter immobilia reponimus, cum *Specul. lib. 4. tit. de restit. spol. §. 2.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 5. num. 4.* *Consil. Argent. d. vol. 2. consil. 11. num. 63.* Servus tamen adscriptitius, non nisi quamdiu glebæ in sistit, inservit, & inhæret, immobilibus adnumeratur; postquam autem deseruit glebam pro mobili censendus est, ex eo, quod quamdiu in gleba est, pro eo competit utile interdictum *uti possidetis*, sin ab eâ recessit, *utile utrobi*, quod pro mobilibus datur. Eleganter Bald. *in l. 1. Cod. de servis fug.* Cyn. *in l. 1. Cod. uti possidetis*; quod plenius probat *l. longa possessionis. 3. ff. de divers. temp. præscript. l. si rem mobilem. 47. ff. de adquir. vel amitt. possess.* Boves verò aratorii, itemque equi, & asini, non obstante, quod fundi instruendi causâ comparati sint, mobilibus accensentur; per *l. fundo. 2. Cod. de V. S.* Berlich. *part. 3. concl. 30. num. 18.* quamvis enim servus naturaliter sit corpus discretum à fundo; tamen pars fundi instrumentalis est, quod non obtinet in bove, equo & asino, qui tantum sub instrumentis fundi, ut mobiles continentur. Bald. *in d. l. 1. colum. 6. tertio oppono C. de serv. fugit.*

XVI.

Videamus *de Molendinis*, de quibus hætenus, *utrum rebus immobilibus, an mobilibus adnumeranda?*

C 2

da?



da? Variis & contrariis sententiis concertatum est. Goëdd. l. 93. in fin. de V. S. Johan. Hering. tract. de molendinis. cap. 8. num. 2. Renat. Chopp. ad Andium jur. 1. cap. 16. num. 2. Nolo aliorum scrinia expilare, & referre, ideòque tantum, quæ mea sententia, hic strictim propositurus sum, quæ hæc: Nempe, quod molendina, quæ in terrâ vel ripis fluminum jure inædificata sunt, illisque adhærent, rectiùs hæcenus pro immobilibus habeantur, conferatur Tiraquell. tract. lignag. §. 1. gloss. 7. num. 92. Curt. Junior. tract. de feud. part. 1. quest. 6. Berlich. d. concl. 30. num. 10. Johan. Hering. hic de molendinis. num. 8. & n. 10. Wesenbec. in π. ff. de R. D. num. ult. in tantum, ut licet rotæ, vel alia instrumenta molendini per aquam profluentem moveantur, & de loco in locum deportari possint, nihilominus inter mobilia referantur, propter contignationem & destinationem, ad instar tegularum domûs, quæ quamdiu illi sunt applicitæ, quia una contignatio est, l. eum qui. 23. ff. de usucap. eademque illorum est consideratio, quæ aliarum rerum immobilium, nempe e. gr. ut si sint minorum, sinè decreto alienari non possint. Simoncell. de decret. inspect. 1. thes. 1. num. 35. & seqq. Modest. Pistor. 1. consil. 64. num. 16. & 54. Vincentius Honded. 2. consult. 3. n. 26. Wehner. d. observ. præct. V. Fahrnuß. Aliud statuendum erit in Molendinis navalibus. Welche an Brücken/Pfählen oder Ankeren / auff dem Wasser gevästiget / und empor schwimmen. Quæ instar navium flumini supernant, ac veluti cum eo commeant, & ambulant, Schiff-Mühlen/cujusmodi multa sunt in Ligeri flumine & in Pado, ut attestatur Bart. in l. quo mirus. 2. quest.



*quest. 18. ff. de flum.* Item in flumine Mosella, Visurgi & passim in Germaniâ nostrâ : hæc enim mobilibus regulariter aggregantur, ut expressum dicit Francisc. Ripa. *d. l. quo minus. 2. ff. de flum. num. 126.* Berlich. *cum multis allegatis, d. concl. 30. num. 12.* Colleg. Jur. Argent. *d. l. thes. 56.* Wehner. *d. l. Rüdینگ. 3. sing. observ. 68. num. 3.* Idem de Molendinis, quæ à ventis agitantur, *Windt-Mühlen* / sentiendum, quod & hæc inter mobilia referantur, *l. Titius. 60. ff. de A. R. D.* Johan. Borch. *de feud. cap. 7. incipit nunc de rebus. num. 11. sub fin. vers. idemque de molendinis à ventis agitatis.* Colleg. Jur. Argent. *d. l. Tiraquell. de retr. lignag. §. 1. gloss. 7. num. 92.* Ex quo notandum, hoc facere pro restitutione rerum dotalium, quia mobilia restituuntur post annum; immobilia verò statim: & sic molendinum tale restitui debet post annum Tiraquell. *d. §. 1. gloss. 7. num. 93.* In feudum tamen dari posse ejusmodi molendina, tradit Arumæus *4. feud. 8.* Curt. Junior. *in tract. de feud. part. 1. quest. 6. col. 3. vers. & ex hoc etiam.* Vide Rosenth. *4. conclus. 4. num. 2.*

XVII.

Sunt & in mari, fluminibusque interdum Insulæ, quæ non uno in loco permanent, sed huc & illuc, uti aura & ventus eas impellunt, tanquam naves meant, & remeant; de quibus Labeo. *in l. penult. §. 2. ff. de A. R. D.* loquitur. Has autem inter mobilia referendas censet Berlich. *conclus. 30. num. 15.* eò quod non ipsi alveo fluminis cohæreant; sed solum virgultis, aut aliâ quâlibet levi materiâ sustineantur. Rectius autem à Tiraquell. *d. tract. §. 1. gloss. 7. num. 121.* immobilibus aggregantur. Sicut enim

7





mare, flumen, stagnum, inter immobilia numerantur, tametsi aqua eorum moveatur, ita & hujusmodi insulæ, quæ eis perpetuò inhaerent, tametsi non eodem semper loco, debent etiam censeri immobiles. *Hactenus Tiraquell.* Et quia etiam ex hujusmodi insulis quotannis fructus percipimus, ac si omnino stabiles essent, ideoque & immobiles esse censentur, ex Bald. *doctrinâ in proæm. feud. col. 6. vers. sed quero quando.*

XVIII.

Cumque de insulis in fluminibus & stagnis natis dixerim, est necessarium *de Piscibus* in piscinis vivariis, lacu, ut paucis quoque perquiramus? Circa quam quæstionem communiter ita distingui solet, utrum pisces in stagno habeantur ad hoc, ut multiplicentur, & crescant, *Seßling / so in Seen oder Beyerren gezogen werden:* An verò tantum custodiæ causâ. Priori casu, pars fundi censentur, uti concludit *Consil. Arg. vol. 2. consil. 11. n. 64.* *Zasius, part. 4. de feud. n. 2.* *Berlich. part. 3. concl. 45. n. 18. & seqq.* Secus verò ubi tantum custodiæ causâ habentur. *Be-sold. in thesaur. pract. lit. F. sub vocab. fahrende Haab.* Quærunt insuper Doctores, si vasallus decedat, ita ut feudum ad dominum devolvatur, ad quem hi pisces spectent? Et sanè difficultatem hoc auget, quod ex his piscinis non soleant, ut constat, singulis annis, sed aut triennio, aut etiam post plures annos demùm percipi fructus. Verùm de hac quæstione malo videatur *Schepliz. ad prompt. juris. Clammer. tit. 3. §. 1. num. 21. & 24.* Ubi hanc litem secundum jus feudale commune. *2. feud. 38. vers. his consequenter* decidendam putat; observato quod mortis tempore instet soli-



solitum piscationis tempus. Rosenth. *de feud. cap. 10. concl. 42. num. 61. vers. & secundum superiora. d. Consil. Argent. 11. num. 57.* Naves quoque ad res mobiles pertinere jam supra indigitavimus, per textum in *l. vi facit. 20. §. quod. 4. ff. quod vi aut clam.* tum quia interdictum de vi & vi armatâ, ad res mobiles non pertinet, *l. 1. §. illud. 6. ff. de vi & vi armatâ.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 7. num. 90.* Be-sold. *in thesaur. pract. litera F. sub verb. fahrende Haab*

XIX.

Jura decimarum & aliarum portionum, quas quis ex fundo alieno percipit, inter immobilia quoquè numerantur, quia immobilibus adhærent & stabile subjectum habent in actu semper permanens. Alex. *consil. 211. num. 4.* Tiraquell. *d. gloss. 7. num. 33.* Myns. *decad. 3. consil. 30. num. 8.* Passagium item, Gabellæ & collectæ, *Zoll / Steuer / Umbgeltt /* quâ jus, inter immobilia computantur, Consil. Argent. *11. vol. 2. n. 60.* Bald. *in l. stipendia. 4. C. de execut. rei judic.* Tiraquell. *gloss. 7. num. 34. & 35.* Item poenæ, seu mulctæ nondum exactæ, *Frevel und Straffen / so noch nicht eingebracht /* inter immobilia connumerantur. Consil. Argent. *d. vol. 2. consil. 11. num. 58.* Idem de cæteris fructibus jurisdictioni superiori annexis, puta de confiscatione dicit Tiraquell. *de retractu convent. gloss. 4. §. 5. n. 21.* Consil. Arg *d. l. n. 59.* Animalia data ad Socidam ubi recipiens obligatus est ad ea nutriendum, & de eis reddendum computum, *da einer jemand's ein Anzahl Schaff oder anders Viehes zinstellet / daß Er ihme dafür jährlichen ein genantes geben soll /* magis inter annuos reditus,

7





tus, & sic inter immobilia computanda esse traditur in Consiliis Argentor. *vol. 2. consil. 11. num. 66.* Barthol. Chassanæus *ad consuet. Burg. rub. 4. §. 2. verb. tous meubles. n. 18.*

XX.

Super est, & hæc disquisitione digna quæstio, *de fructibus, quò hi referendi; an ad res mobiles, an verò ad immobiles?* Et sanè arbitror, omninò distinguendum esse, inter fructus pendentes, *die noch auff den Lãnderen/* & perceptos: fructus percepti enim inter res mobiles, pendentes autem inter immobiles reponuntur à Gloss. in *cap. 1. §. sciendum in verbo coherentibus. 2 feud. 1.* Connan. *lib. 3. cap. 2. in fin. lit. K.* Petr. Wesenbec. *consil. 61. num. 7.* quia pars fundi sunt *l. fructus pendentes. 44. ff. de R. V.* ut plenè declarat Bart. *l. si filius familias. 78. §. 1. ff. de V. O.* Salicet. in *l. fructus. 13. Cod. de act. empt. vend.* Et ad eò hi fructus pars fundi censentur, ut Angel. in *d. l. 44. ff. de R. V.* asseveraverit posse de hujusmodi fructibus fieri supplementum legitimæ filio, quamvis habere debeat ipsam legitimam de substantiâ bonorum patris, & non de fructibus *l. scimus. 36. vers. repletionem & auth. novissima, & utrobique Dd. C. de inoff. test.* Fructus tamen statim colligendi, & à fundo separandi, pro collectis & separatis habendi. *arg. l. penult. ff. de milit. test. & arg. l. cætera. 41. de leg. 1.* Consil. Argent. *d. l. num. 56.* quâ ratione Paul. Castrensis. *consil. 132. col. 2. lib. 1.* respondit. Testatore jubente omnia sua bona mobilia distribui, fructus pendentes in hoc legatum venire, ut qui brevi separandi, fieri mobiles. Vide Tiraquell. *d. §. 1. gloss. 7. num. 44. in fine.* De stercolino & stramentis, item palis, qui vineæ causâ



causâ parati sunt, idem quod de fructibus mox percipiendis, statuimus. Quare mox infigendi pro infixis habendi sunt, per *l. fundi. 17 §. fundo. 2. item. 5. & pali. 11. l. granaria. 18. §. 1. ff. de act. empt. vend.* Sylva cædua, lapidinæ, auri & argenti-fodinæ, pro rebus immobilibus reputantur, propterea, quod solo cohæreant & pars fundi dicantur: quidquid tamen ibi cæsum & à solo separatum est, pro mobili habetur, per *l. fructus. 7. §. si fundum 12. ff. solut. matrim. l. sed si. 3. §. ult. & duabus sequentibus. ff. de rebus eorum, qui sub tutel. Berlich. concl. 35. part. 3. per totum. Coll. Jur. Arg. d. l. th. 51.*

## XXI.

Sunt & res quædam, quæ licet per se mobiles quidem sint, tamen quo ad juris effectum inter immobiles numerantur: de quibus Petr. Wesenbec. *consil. 61. num. 3.* Ecce enim legato castro, vel fortalitio, censentur concessa non solum adjacentia ipsi castro, solâ etiam destinatione & usu testatoris, quinimò agri, molendina, fructus, mancipia, pecora, arma & instrumenta bellica, dolia vinaria, vasa olearia, & omnia non affixa, existentia in castro, causâ conservationis ad hoc perpetuò ibi posita. *Vi- de Rosenth. d. cap. 4. concl. 4. lit. G. vers. hinc est.* Et ait Cephalus *consil. 92. num. 16. & 17. lib. 1.* hanc esse fallentiam ad regulam, cum an veniant in similibus legatis regulariter considerari soleat, an sint affixæ, nec ne, quod expressè innuit. *l. Lucius. 93. §. collegia. 4. de leg. 3.* Ubi legato fundo non censentur legata machinæ, nec vasa seu dolia in cella vinaria non affixa, quia omissa. Favore autem castri, fortalitii censentur etiam comprehensa non affixa ea, quæ

D

repe-



reperiuntur in eis existentia tutionis defensionisque  
causâ *arg. l. 2. ff. de Jurisdic. Joseph-Ludovic. concl.*  
*48. n. 22. Vide omninò Tiraquell. d. tract. à num. 96.*  
*usque ad num. 100.*

XXII.

Destinatio quoque Patrifamilias facit quan-  
doque, ut res quædam mobiles reputentur pro im-  
mobilibus. *Charondas in suis memorabilibus v. meub-*  
*les : dum dicit. J'adjousteray, que la destination du*  
*Pere de famille fait, que les meubles sont quelques fois*  
*reputées immeubles ; comme sont veües meubles estans*  
*en une maison ou chasteau pour perpetuelle demeure.*  
Et paulò inferiùs subdit. *Les materiaux d'une mai-*  
*son demolie destinés à la rebatir. Uti & cæmenta pro*  
*domo noviter exstruenda comparata, & ad locum su-*  
*perinædificationis transportata, pro immobilibus*  
*reputantur, cum jam deventum sit ad quoddam opus*  
*non valdè remotum à destinato. Vide Gail. d. obser-*  
*II. num. 4. & 5. Latè Felin. de materiâ destinationis in*  
*cap. cum ad eò. 17. num. 2. de rescriptis.* Pariter, calices,  
cruces, missalia & similia ornamenta capellæ, tan-  
quam immobilia ac annexa Ecclesiæ seu templi  
censentur; uti iudicatum refert *Charon. dict. loc.* Sic  
videmus in *lectis & aliis supellectilibus, Bett. Ge-*  
*want/ Reillachen | in publicis diversoriis repertis, quæ*  
licet & ipsa suapte naturâ sint res mobiles, tamen  
cum eo fine & destinatione comparata sint, ut per-  
petuò in publicis hospitiiis maneant, sinè quibus &  
jus hospitii exerceri, & hospites liberaliter tractari  
nequeunt, pro immobilibus sive pertinentiis aut co-  
hærentiis diversorii censenda sunt, & consequen-  
ter ei, cui bona mobilia aliàs cedunt, non adjudi-  
can-



da veniut. Gail. 2. observ. 62. num. 5. Coll. Jur. Arg.  
d. l. thes. 57. in addit.

XXIII.

De Mercibus autem in Taberna aliqua, seu negoti-  
atione existentibus, dubitatur, an mobilium vel im-  
mobiliu naturam sequantur? Et quanquam de hac  
controverfiâ variè à variis concludatur; placet ta-  
men distinctio Berlich. 3. conclus. 30. num. 22. ubi latè  
eam discuffit. Nos brevitatis studio paucis eam re-  
feremus. Aut enim domus quædam ideò est exstru-  
cta & præparata, vel aliter privilegiata, ut perpetuò  
ibi mercantia exerceatur, taberna habeatur, & mer-  
ces vendantur: tunc illa taberna & merces ad in-  
star immobilium censentur. Ratio in l. cum taber-  
nam. 34. ff. de pignor. l. proponebatur. 76. ff. de judic. l.  
Julianus. 13. §. ult. l. 14. & 15. ff. de action. empt. vend.  
Quod si verò non sint deputatæ aut destinatæ, ut per-  
petuò ibi maneant, & loco illi adhæreant, sed quas  
quis in propriâ tabernâ, vel domo, vel in alia pergu-  
la, pro qua quotannis suam mercedem solvit, ha-  
bet, & vendit, tunc audacter concludimus, quod  
illæ merces mobilium appellatione contineantur,  
per l. 1. sub fin. Cod. de V. S. Gœdd. ad l. mercis. 66. ff.  
de V. S. Menoch. lib. 4. præsumpt. 137. num. 4. & seq.  
Et generaliter cum Labeone in l. fundi. 17. §. 7. ff. de  
act. empt. vend. scribimus, ea, quæ perpetui usus  
causâ in ædificiis sunt ( licet mobilia ) ædificii esse,  
& quo ad juris effectum inter immobilia referri. Nec  
tamen hoc aliter procedit, quam si quis in domo  
propria moretur, in domo enim, quam quis ad dies  
vitæ conduxit, legatis mobilibus, ea quæ perpetui  
usus causâ aliàs pro immobilibus habentur ( exem-



plo sit Torcular seu Pressorium, quo mediante mustum extorquetur ab uvis) rursus mobilibus accedere; cessante enim causâ cessat effectus. *Vid d.l.17. in princip. ff. de act. empt. vend. Berlich. tom.3. conclus. 30. num.19.* facit quod etiam mobilia affixa, pro ut calderia, & similia ( licet veniant in venditione domus, & sic accedant ad immobilia) tamen quia revera sunt sui naturâ mobilia triennio usucapiantur, ut sentit Alexand. *consil. 134. in causa & lite. num. 13. & 14. vers. quod autem. lib. 2.* De Mercibus autem in Apotheca existentibus dubium movet Schneidev. *argum. eorum, quæ §. final. num. 6. Instit. de locat. conduct.* de fabro malleante tradit. Si enim propter incommoda, quæ vicino per frequentem mortarii usum adveniunt, domum ad hoc privilegiatam esse debere statuamus, nil vetat, has merces immobilibus ob hanc quoque rationem adnumerari.

XXIV.

Dixi supra thes. X. de Nominibus & actionibus, ad quam speciem rerum sint referenda: quibus insuper hoc addo: an in nullo casu eorum admittenda sit doctrina, qui nomina & actiones neque ad res mobiles, neque ad immobiles referendas esse; sed tertiam quandam ac separatam rerum speciem constituere tradunt? Textus quibus hi in hanc sententiam moventur, ad longum refert Tiraquell. *dict. tract. lignag. §. 1. gloss. 7. n. 10.* inter quos etiam est *l. 1. Cod. de prator. pignor.* ubi dicitur, non solum super rebus mobilibus & immobilibus, sed etiam super actionibus. Ex quo inferunt, si omnia bona mobilia & immobilia Proprietary debeant publicari, quod non comprehendantur nomina debitorum, ac quod depu-



deputati ad executionem bonorum mobilium & immobilium, ne quicquam juris ac facultatis in nomina & actiones habeant, latè Tiraquell. *dict. loc. n. 9.* Nos Benev. Lectorem ad dictum Tiraquell. remittimus, nec ulterius quidquam monemus, quam quod dictus author *num. 29.* ex Alexand. tradit. Non esse hominis ea verba restringere, sed fieri per certas leges, & hoc, ut evitetur legum & statutorum correctio; sanè in casu statuti prohibentis alienare quæcunque bona mobilia & immobilia, sine decreto judicis in extraneos, non admodum refragarer, quod etiam nomina comprehenderentur ex verisimili mente statuentium & subjecta materia, ob quam sæpè recedimus à verborum proprietatè. *dict. loc. n. 28. in fin.*

XXV.

Coronidis loco insuper quærere lubet, *an Consuetudo vel statutum valeat, quod conjuges non solum in casu non existentium liberorum, sed etiam liberis extantibus sibi mutuo in bonis mobilibus quibuscunque succedant?* Affirmat Gail. *1. observ. 36. num. 11.* cui subscribo per rationem hanc, quod inter Dd. expeditum sit, legitimam liberorum statuto vel consuetudine minui posse. Gail. *2. observ. 122. & Dd. ad auth. novissima. C. de inoff. test.* Dissentit Myns. *cent. 1. observ. 69.* qui illud tunc demum obtinere putat, si circa alienationem aut acquisitionem immobilium nulla à superstite fraus commissa, saltem si supersint bona immobilia tanta, ex quibus liberi habere possint legitimam illis jure naturæ debitam. *dict. observat. num. 1.* Quærendum etiam: si bona quædam extra territorium consuetudinis, vel sta-



tuti sita sint, an superstes conjux succedat quoque in bonis illis extra territorium sitis? *Gail. 2. observ. 124. n. 4.* concludit, quod non, & rationem hanc adfert, quia consuetudines vel statuta, (quæ regulariter paribus passibus ambulant) sunt locales, vel localia, atque ideò non obligant nisi subditos vel jurisdictioni subjectos, ubi igitur cessat jurisdictio statuentium, ibi nec statuti dispositio obtinet. *text. in l. fin. ff. de jurisdict. l. 1. C. si à non competente. cap. ut animarum. 2. de const. in 6to.* Modest. Pistor. 1. *consil. 31. num. 53. & consil. 58. num. 9.* His hætenus strictim dictis & hoc denique addo, quod in hac materiâ mobilium & immobilium, ante omnia communis loquendi usus inspici, & attendi debeat, quid nempe pro re mobili, vel immobili ubique locorum habeatur. *Natta. consil. 117. in fin.* Hic enim communis loquendi usus magis, ut semper etiam in aliis sequendus est, quam propria verborum significatio, ut in specie respondit *Oldrad. consil. 219.* ita & vel maximè in hac materia, ubi statuta adeò variant. Et verba potiùs capi debent, secundum quod idiotæ capiunt, quam secundum juris communis dispositionem, *Gœdd. ad l. 93. ff. de V. S. d. Consil. Argent. 11. n. 67.*

Et hoc est, Lect. Benev. quod tibi pro disputatione inaugurali dijudicandum exhibere volui. Tu fuge obtrectationes caninâ quâdam rabie mordentes. Mihi sufficit pro instituti ratione (medius inter tot tantasque in hanc dulcissimam meam patriam



triam irruptiones bellicas) breviter expo-  
fuisse, quæ in ipsis rerum argumentis (dum  
vigore statuti conjux conjugii in mobilibus  
succedit) obtineant: alium enim confide-  
randi modum non habui. Tandem rerum  
omnium Creatori Omnipotenti sit laus,  
honor, & gratiarum actio. In sempiterna  
secula.



## COROLLARIA

*Ex Jure Canonico.*

### I.

Nulla inter Jus Canon. & Civile differentia circa le-  
gatum rei alienæ præstandum, *uti tradit Ros-  
bach. 2. de different. Jur. Can. & Civ. 6. n. 1.*

### II.

Neque etiam circa Gradus affinitatis, quasi Jur. Ci-  
vili nulli, hoc verò gradus etiam affinitatis  
computentur, *uti docet Rittersh. 1. differ. Jur.  
Civil. & Can. 9.*

### III.

Hallucinantur ii, qui existimant solennitatem testa-  
mentariam 7. testium Juris Civilis sublatam per  
Jus Canon. *in cap. cum esses. 10. extr. de Testam.  
vide Canisium different. 23.*

### IV.

Uti & illi, qui asserunt Jure Canon. foeminam te-  
stem

7





stem esse posse in testamento. *Vide Rittershus. s. differ. 21.*

V.

Pœnæ contra incestas Nuptias contrahentes à Jure Civili constitutæ, an locum habeant in incestis Nuptiis de Jure Canonico. *Neg.*

VI.

Sponsus post celebrata publicè sponsalia de præsentì, sponsam ante benedictionem Sacerdotalem, quæ fit in facie Ecclesiæ, impregnans & postea decedens, posthumus legitimus nascitur.

VII.

Quæritur an illud, quod de Viro *in cap. i. ext. de Clandest. despons.* constitutum legitur, id etiam respectivè de Muliere intelligendum sit. *affirmatur.*

VIII.

Regula *cap. ult. ext. de Consang. & Affinit.* Quoto Gradu remotior distat à communi stipite, toto Gradu distant inter se, non strictè de casu ibi expresso, sed etiam de aliis proximioribus intelligenda.

IX.

Argumentum à minori ad majus non semper procedit in Jure Canon. aliàs, conditiones quæ *in cap. fin. extr. de Clandest. despons.* referuntur, quales sunt, *contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore & facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, everterentur.*

Lustrasti



**L** Vltra lustrum Themidis *Theobalde* procellas,  
Naufragus in tumido nolle natare freto.  
Lustra adsint lustris, labor, & cautela, per altū  
Innumeræ Syrtes, haud periēre mare.  
Sospes ut has superes, ætas tibi crescat in ævum.  
Scandas nimbosos, & pariter scopulos,  
Vtere Nauclo per Scyllam perque Charybdim  
Vnus namque *Θεός*, Baldus & alter erit.

*Sic applaudit*

*Anonymus, defendenti tamen notus.*



*Victori Flores.*

**L** Ustramus nitidæ cum culta Palatia *Floræ*  
Festinat florem carpere parca manus:  
Tu *Themidis* doctis cum versarieris in hortis  
Floribus illius, mens tua capta fuit;  
Et tam te illorum caput generosa cupido,  
Subtile ut cunctos carperet ingenium;  
Hinc Juris flores decerpis porro labore  
Ut meliori illos ordine nempè loces:  
Quorsum ficcè locas? fertum vis nectere? rectè est  
Ingenium florens, florida ferta decent,  
Perge agedum studii flores aptare coronæ,  
Floribus *Astræ* cinctus amator ova.

*VIDI a Moris & honoris causa tibi gratulatur*

*Johannes Waltherus Reich, von  
Altorf / J. U. C.*

Amico





Amico suo de *Immobili* disputanti.

**M**obile quid non sit, dum *Immobilis* ipse tueris  
*Mobilis* es, famam nam tibi fama movet.  
Non tu *Mobilis* es, parti defensor honoris  
*Mobilis* es, qui Te promovet ipsa Themis.  
Mobilis omnis homo est, *Immobilis* at sit amicus?  
Talem Te, qui non *Mobilis* ipse, cupit.

Accinit

Johan. Christoph. Sutfeldt/  
Osnabr. Westph.



Votum Reciprocum Fraternalum.

**V**T *Galenus* opes, sic *Justinianus* honores  
Det *Fratri*, quondam vota fuere tua.  
Sic pariter Tibi *Justinianeos* ad honores  
*Galenus* magnas, apprecor addat opes.

Fratri germano suo suavissimo pro *Justinianeis*  
honoribus consequendis disputanti

Apposuit

Georgius Adolphus Oberlin,  
Medicine Dr.



**N**obile par Fratrum? lusistis carmine, *Bini*;  
Carminis eventum prosperet ipse DEUS.

Ita Consanguinitatis ergo  
precat

Johannes Herding, Molshemens.  
LL. Studios.



X2615922

WDA







I. N. D. N. I. C. S. 5. num. 6.  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De  
**REBUS MO-  
BILIBVS ET IM-  
MOBILIBUS,**

Vulgò

**Von den Fahrennd- und  
Ligenden Güterren.**

Quam,

DIVINO ANNUENTE NUMINE  
*Ex Decreto & Autoritate*  
MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI  
IURISCONSULTORVM ORDINIS  
In Florentissimâ Argentoratensium Universitate  
Pro consequendis  
Summis in Vtroque Jure Honoribus & Privilegiis  
DOCTORALIBVS


Solenni Examine submittit  
JOH. THEOBALDVS OBERLIN, Benfeldensis Alsatus.

Ad diem 15 Mensis Novembri

Anno quo

f Vrloso Martis ferro pentVs DeVastata nobILIS LVget aLsatla.

ARGENTORATI,  
TYPIS JOHANNIS WELPERI.



1676, 2.

P. 96



omp  
comp  
mine  
i; ut  
incol  
ippe  
ue su  
idex  
2. 10.  
DEC

tam  
gare  
abet  
ubi  
en-  
test,  
in

7

